

Franckesche Stiftungen zu Halle

Liber Latinus In Vsum Puerorum Latinam Linguam Discentium Editus

Büsching, Anton Friedrich

Berolini, 1767

VD18 1347295X

Caput IV. De Avibus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

14 CAP. III. DE QUADRUPEDIBUS.

lum armosque vestiunt iubæ, cuiusque
fœmina *Lea* & *Leena* dicitur:

Vrsus, animal villosum & rabidum; quod
ingreditur & bipes:

Hyæna, sermonem humanum inter pasto-
rum stabula assimilans:

Simia, cuius genera hominis figuræ prox-
ima, caudis inter se distinguuntur, quibus
nonnulla carent.

Digitos habent *indivisos*, *Fiber* siue *Castor*
& *Lutra*, quadrupedes tum in aqua, tum
etiam in terra degentes. Vtrique mollior
pluma pilus.

Pedes informes sunt *vitalis marinis*, quos di-
cunt *Phocas*, corio testis & pilis, spiranti-
bus & dormientibus in terra, in qua etiam
pariunt pecudum more.

CAPUT IV.

DE AUIBUS.

Sequitur natura *auium*, siue animantium bi-
pedum, quæ oua pariunt, corneo rostro
penisque præditæ. Aliæ digitatae, aliæ palmi-
pedes, aliæ inter utrumque, diuisis digitis ad-
iecta latitudine. Vni tantum generi bini digiti,
nonnullis generibus trini, plurimis quaterni, ita
quidem ut vel tres in priore parte, unus a calce,
vel utrinque bini. Auium quibusdam grauio-
ribus, in cruribus additi radii. *) Nulli vincos
haben-

*) i. e. calcaria.

habentium vngues, longi pedes. Porre^ctis ad caudam cruribus volant: quibus breues, contractis ad medium. Ambulant aliquæ, vt cornices, saliunt aliæ, vt passeræ, merulæ, currunt, vt perdices, rusticulæ, ante se pedes iacent, vt ciconiæ, grues. Expandunt alas, pendentesque raro interuallo quatint, vt milui, aliæ crebrius, sed & primas duntaxat pennas, aliae & tota latera pandunt, vt corui: quædam vero maiore ex parte compressis volant, vt pici, percussoque semel aliquæ & gemino istu aëre feruntur, vt carduelæ: vel vt inclusum eum prementes, eiaculantur sese in sublime, in re^cetum, in pronum, vt hirundines. Impingi putes alias, vt perdices, aut rursus ab alto cadere has, vt alaudæ, illas salire, vt coturniæ. Anates solæ, quæque sunt eiusdem generis, in sublime protinus sese tollunt, atque e vestigio cœlum petunt, & hoc etiam ex aqua. Itaque in foueas, quibus feras venamur delapsæ, solæ euadunt. Vultur & fere grauiores, nisi ex procursu, aut altiore cumulo immisæ non euolant, cauda reguntur. Aliæ circumspetant, aliæ flectunt colla. Nonnullæ vescuntur iis, quæ rapuere pedibus. Sine voce non volant multæ, aut e contrario semper in volatu silent. Subre^ctæ, pronæ, obliquæ, in latera, in ora, quædam & resupinæ feruntur: vt si pariter cernantur plura genera, non in eadem natura meare videantur.

Oscines

Oscines vocantur omnes aues, quæ canunt: fere mutant colorem vocemque tempore anni, ac repente fiunt aliæ. Avium loquaciores, quæ minores. Quædam toto anno canunt, quædam certis temporibus.

Aues & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia sibi, *nidosque* construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facilissime *ova* serventur. Ex quibus pullos cum excluserint, ita tuerintur, ut & pennis foueant, ne frigore lædantur, & si est calor, a sole se opponant. Cum autem pulli pinnulis uti possunt, tum volatus eorum matres persequuntur, reliqua cura liberantur.

Aues digitatæ.

Uni tantummodo generi *bini digiti*, vel potius vngula bisulca, nempe *Struthio camelus*, avium grandissimo, cui ad hoc deum datæ pennæ, ut currentem adiuuent: cætero non est volucris, nec a terra tollitur.

Aues *trinis digitis* in priore pedis parte, *Casuarius*, avium, cum a *struthiocamelo* discesseris, grandissimus; *Otis*, latine *Astro*, auribus plumeis eminentibus, unde & nomen illi, *Tarda* a tarditate appellata.

Aues quaternis digitis, vtrinque binis,

Psitacus, vocem humanam reddens, etiam sermocinans, viridis toto corpore torque tantum miniato in cenuice distincta:

Picus

Picus Martius, cui vnci vngues, in cuius etiam genere arborum cauatores:

Cuculus, qui græco nomine *Coccyx* vocatur, semper parit oua in alienis nidis, maxime curruclarum:

Alcedo, avis sic dicta quasi algedo, quod frigidissimis temporibus nidificet; dicitur a graecis *Halcyon*:

*Digitis tribus in priore partis pede,
uno a calce.*

Aues rapaces sunt vel *diurnæ*, vt *Accipiter*, *Aquila*, nidificans in petris & arboribus, *Vultur*, nidificans in excelsissimis rupibus, *Gryps* vel *Gryphus*, vulturum maximus, *Milvus*, rapacissima & fæmela semper ales: vel *nocturnæ*, vncos vngues habentes, vt, *Noctua*, cui contra aues solers dimicatio, *bubo*, quæ deserta incolit, *vlula* & *sryx*, aues importunæ.

Coruus, avis nota. Eius generis sunt *Cornix*, avis garrula, *Monedula*, sic dicta quod monetam furetur, *graculi* a sono oris vocati.

Picae, aues alis vario colore & præsertim cæruleo depictis, longa insignes cauda, humana verba proferentes.

Sturni gregatim volant, humanas voces redundunt.

Turdi, aues silvestres, inter primas a saporis bonitate collocatae.

Merula ex nigro rufescit, canit æstate, hieme balbutit. *Oriolus* vel *Galgulus* nidum suspendit in surculo primis in ramis, cyathi modo, ut nulla quadrupes possit accedere. *Alauda* avis *galerita* dicitur, quod apicem habeat in capite ad similitudinem galeri. Cantando in nubes adscendit.

Luscinias græci *Philomelas* vocant. Quanta vox tam paruulo in corpusculo! quam pertinax spiritus!

Ficedula a fieu sic dicta, quod ea fieu pinguis fiat.

Curruga, cuculi oua pro suis fouet & excludit. *Reguli* auium nostrarum minimæ.

Erithacus formam & colorem mutat cum nomine, nam hieme tantum *Erithacus*, æstate *Phœnicurus* appellatur, a puniceo caudæ colore.

Hirundines nidos luto construunt.

In genere *Parorum* est, cui nidus ex musco arido ita absoluta perficitur pila, ut inveneri vix possit aditus.

In *Passeris* genere sunt, *avis canaria*, *avis miliaria*, quæ milio vescitur & pinguescitur, *avis linaria*.

Fringilla vel *Frigilla*, dicta, quod frigore canter & vigeat. *Carduelis* dicta, quod carduum semine pascatur.

Cohortarium auium fœminæ proprie appellantur *gallinae*, mares autem *galli*, semimares *capi*, qui hoc nomine vocantur, cum sint castrati libidinis abolendæ causa. *Pumilio-*

nus

num avium humilitas quosdam delectat.
Canorum animal *gallus gallinaceus*. Diem
venientem nuntiat cantu, ipsum vero can-
tum plausu laterum. *Meleagrides*, galli-
narum genus gibberum, variis sparsum
plumis, galea & crista cœrulea. *Porphy-
rio* omnem cibum aqua subinde tingit,
deinde pede ad rostrum veluti manu affert.
Rostrum & prælonga crura rubent. *Pa-
vones* colli & caudæ coloribus insignes.
Masculus pauo semet ipsum veluti miran-
tem, caudæ gemmantibus pinnis protegit,
idque cum facit, rotare dicitur. *Galli in-
dici* ut vulgo vocantur, vel *Galli calecutici*, ex
America aduecti, plane incogniti veteribus.

Phasianus avis pulchra.

Perdices spina & frutice sic muniunt recepta-
culum, ut contra feras abunde vallentur.
Coturnices græce *Ortyges*, paruæ aues, a fono
vocis sic appellatae.

Columbi cellares vel summis turribus, vel edi-
tissimis ædificiis assignatas sedes frequen-
tant, patentibus fenestris, per quas ad re-
quirendos eibos euolitant. *Turtures* in
ornithone nec pariunt nec excludunt. *Pa-
lumbes*, siluestres columbae, in arboribus
sepibusque nidificantes.

Merops pallido intus colore pennarum, in-
ferne cyaneo, superne subrutilo. *Vpupa*,
avis, cristis a capite exeuntibus galeata, ob-
scena alias pastu.

TIT. A

B 2

Aves

*Aues longis pedibus, collis
& rostris.*

Grues, cum loca calidiora petentes mari transmittunt, trianguli efficiunt formam.

Ibis, avis Aegypti excelsa, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro.

Ciconiae, e longinquo veniunt, eodem quo grues modo, & nidos eosdem repetunt.

Aues palmipedes.

Anserum alii domestici, alii agrestes.

Olor, qui græce *cygnus* dicitur, avis anserem maior, vocem argutam habens.

Anates, querquedulae, similesque volucres, stagna & paludes rimantur:

Gavia, græce *Larus*, avis alba, super fluctus marinos pennis natans.

Mergus, avis, dicta, quod mergendo in aquor, captet escam.

Onocrotali, olerum habent similitudinem, nec distare existimarentur omnino, nisi fauces ipsis inesset alterius vteri genus. Veterum est *Pelicanus*.

Aues diuisis digitis adiecta latitudine.

Fulicæ, quæ & *Fulices* dicuntur, aues marinæ, paulo supra magnitudinem columbae, sub aqua diu vrinantur. Matutino clangore tempestatem nuntiant.

CAPUT